An. et vol. XXXXIV 1 Iulii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 441 - Litterae Apostolicae, p. 451 - Epistulae, p. 461 - Allocutiones, p. 468 - Nuntius radiophonicus, p. 478.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Decreta I. II. Proscriptio librorum, p. 481 - *S. C. Rituum*: I.-V. Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 482. VI. Decretum de novis elogiis in Martyrologio Romano inserendis, p. 489.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citationes edictales, p. 494.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos*: Responsa ad proposita dubia, p. 496.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze - Necrologio, p. 498-504.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1000 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 80 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIV, n. 9 – 1 Iulii 1952)

ACTA PII PP. XII

Constitutiones Apostolicae

PAG.

I. Bogotensis in Columbia (Zipaquirensis). *Ne nimia dioecesium.* – Ab archidioecesi Bogotensi in Columbia territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis, « Zipaquirensis » nomine, eidem ecclesiae Bogotensi suffraganea. – 1 Septembris 1951 441

II. De Kivu et Balduinopolitanus (Kasongoënsis). *Pro supremi quem.* – A Vicariatibus Apostolicis De Kivu et Balduinopolitano territorii pars seiungitur, qua novus erigitur Vicariatus, « Kasongoënsis » nomine. – 10 Ianuarii 1952. 444

III. Lahorensis (De Yullundur). *Inter ceteras curas.* – A dioecesi Lahorensi pars distrahitur, ex qua, territorio de Yammu excepto, nova erigitur Praefectura Apostolica nomine « De Yullundur ». 17 Ianuarii 1952. . . 446

IV. De Dinajpur (Jalpaiguriensis). *Nullam sibi viam.* – A dioecesis de Dinajpur territorio pars seiungitur, in Indiana Republica sita, atque ex ea nova erigitur dioecesis « Jalpaiguriensis » metropolitanae Ecclesiae Calcuttensi suffraganea. – 17 Ianuarii 1952 447

V. De Dinajpur (De Malda). *Tam opportunum est.* – Districtus civiles de Malda et de West Dinajpur, a dioecesi de Dinajpur distracti, Praefecturam Apostolicam de Malda efformant. – 17 Ianuarii 1952 . . . 450

Litterae Apostolicae

I. *Almam Deiparam.* – Beata Maria Virgo, « Del Espino » vulgo nuncupata, oppidi « Lietor » in finibus Albasitensis dioecesis caelestis Patrona constituitur. – 9 Iunii 1951 451

II. *Servat gens.* – Beata Maria Virgo in caelum Assumpta totius Paraquarianae Reipublicae eiusdemque nationis Copiarum caelestis Patrona eligitur. – 13 Iulii 1951 452

III. *Ligurum terra.* – Ecclesia B. Mariae Virginis in caelum Assumptae, in oppido « Sestri Ponente » archidioecesis Ianuensis, Deo dicata, titulo Basilicae Minoris condecoratur. – 10 Augusti 1951 454

IV. *Qui laeto animo.* – Internuntiatura Apostolica in Iaponia erigitur. – 28 Aprilis 1952 455

V. *Quod Christus.* – Venerabilis Dei famula Raphaëla Maria a Sacro Corde Iesu, Virgo, Congregationis Ancillarum SSmi Cordis Iesu fundatrix, Beata renuntiatur. – 18 Maii 1952 456

Epistulae

PAG.

I. *Sicilia, haud.* – Ad Emum P. D. Ernestum tit. Sanctae Sabinae S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ruffini, Archiepiscopum Panormitanum, quem Legatum suum renuntiat plenario Concilio sacrorum Siciliae Antistitum. – 20 Decembris 1951 . . . 461

II. *In perantiqua.* – Ad Emum P. D. Fridericum Episcopum Tusculanum S. R. E. Cardinalem Tedeschini, Patriarchalis Basilicae Vaticanae Archipresbyterum, Sacri Consilii Petrianae Fabricae Praefectum, eundemque suum Datarium, quem Legatum mittit ad Eucharisticum Conventum ex omnibus nationibus Barcinone ineundum. – 10 Maii 1952 . 463

III. *Nous apprenons.* – Ad clarum virum Iosephum Folliet, moderatorem commentarii « Chronique Sociale de France » nuncupati: ob duodena lustra ab eiusdem commentarii ortu impleta. – 14 Mai 1952 465

IV. *Persuavi animi.* – Ad Emum P. D. Benedictum Episcopum Praenestinum S. R. E. Cardinalem Aloisi Masella, Patriarchalis Basilicae Lateranensis Archipresbyterum, Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum Pro-Praefectum, quinquagesimum sacerdotii annum impleturum. – 18 Maii 1952 467

Allocutiones

I. Ad Delegatos Conventui nationali italico, Romae habito, Sodalitatum caritatis, vulgo « Conferenze di san Vincenzo de' Paoli » nuncupatarum. – 27 Aprilis 1952 468

II. Ad christifideles qui Romae convenerant ad beatificationem Ven. Servae Dei Raphaëlae Mariae a Sacro Corde Iesu. – 19 Maii 1952 . . . 473

Nuntius Radiophonicus

Christifidelibus datus, ob XXXV Conventum Eucharisticum e cunctis nationibus, Barcinone coadunatis. – 1 Iunii 1952 478

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

I. Decretum. Proscriptio librorum. – 24 Maii 1952 481

II. Decretum. Proscriptio librorum. – 14 Iunii 1952 481

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Matriten.* – Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Vincen-

(*sequitur pag. III*)

An. et vol. XXXXIV 1 Iulii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BOGOTENSIS IN COLUMBIA (ZIPAQUIRENSIS)

AB ARCHIDIOECESI BOGOTENSI IN COLUMBIA TERRITORII PARS DISMEMBRATUR, EX QUA NOVA ERIGITUR DIOECESIS, « ZIPAQUIRENSIS » NOMINE, EIDEM ECCLESIAE BOGOTENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ne nimia dioecesium amplitudo fructuosae obstet sacrorum Praesulum industriae neve propterea religiosa christifidelium curatio quid capiat detrimenti, Apostolicae Sedi cordi est, cum per rerum adiuncta id licet, ex dioecesibus illis partes seiungere et novas exinde condere ecclesiasticas circumscriptiones aliis Praesulibus committendas. Libenter itaque admittentes preces venerabilis Fratris Antonii Samorè, Archiepiscopi titulo Ternobèni eiusdemque in Columbiana Republica Nuntii Apostolici, annuente venerabili Fratre Chrysantho Luque, Archiepiscopo Bogotensi in Columbia, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Nos, re mature considerata, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ea quae sequuntur statuimus:

I) Ab archidioecesi Bogotensi Vicariatus foraneos distrahimus quibus nomina *Zipaquirà, Chocontà, Graduas, Lenguazaque, La Palma, La*

Peña, Machetà, Pacho, Susa, Topaipí, Ubatè, Vergara, atque ex ita avulso territorio novam erigimus Dioecesim, ab urbe Zipaquirà « Zipaquirensem » appellandam, quae iisdem circumscribetur finibus ac Vicariatus foranei quos modo diximus; atque ex paroeciis constabit quibus vulgo nomina: *Cogua, Nemocòn, San Cayetano, Suesca, Villapinzòn, Chaguani, Guachetà, Cunubà, Caparrapi, Utica, La Paz de Calamoima, Puerto Salgar, Manta, Tibirita, Supatà, Paime, Villagòmez, Fùquene, Simijaca, El Peñon, Yacopì, San Antonio de Aguilera, El Carmen de Carupa, Sutatausa, Tausa, Nocaima, Nimaima.*

II) Huius novae Dioecesis episcopalem sedem in urbe vulgo *Zipaquirà,* a qua Dioecesis ipsa nomen mutuatur, statuimus; quam igitur urbem ad episcopalis civitatis fastigium extollimus. Episcopi vero cathedram in templo Ssmae Trinitati dicato in eadem urbe exstante, figimus. Quod propterea templum ad Cathedralis templi gradum et dignitatem evehimus, eique insignia et privilegia, obligationes et onera tribuimus, quae ceterorum Cathedralium templorum sunt propria. Zipaquirensibus, autem, pro tempore Praesulibus hinc iura, privilegia, insignia, honores et potestates competent, hinc onera et obligationes quae iure communi eiusmodi Praesulibus competunt.

III) Zipaquirensem Cathedralem Ecclesiam suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Bogotensi cuius Archiepiscopi metropolitico iuri Zipaquirenses pro tempore Episcopos subicimus.

IV) Ut vero cathedrali templo Ssmae Trinitatis nihil decoris desit, ibique divinus cultus eo quo par est splendore exerceatur, decernimus ut Canonicorum Capitulum, quum primum fas erit, constituatur iuxta regulas et normas per alias Nostras sub plumbo Litteras edendas. Donec vero Canonicorum Capitulum deerit, volumus ut Dioecesani Consultores ad iuris normam eligantur, eorumque operam Episcopus adhibeat.

V) Episcopalem mensam constituent sive bona quae ex partitione bonorum mensae archiepiscopalis Bogotensis novae Dioecesi Zipaquirensi obvenient, sive pecunia a civili Gubernio eroganda, sive Curiae emolumenta et fidelium oblationes. Quoad bonorum divisionem cum archiepiscopali mensa Bogotensi servetur praescriptum can. 1500 Codicis Iuris Canonici.

VI) Iubemus insuper ut in Dioecesi Zipaquirensi saltem parvum seminarium, quam primum fieri poterit, iuxta normas iuris canonici et regulas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus editas, constituatur, atque ex eadem Dioecesi cum fieri poterit electi iuvenes in sortem Domini vocati Romam mittantur ut ibi, sub oculis fe-

re Romani Pontificis, in Pontificio Collegio Piano Americano Latino ad pietatem ac doctrinam erudiantur. Interea vero Archiepiscopus Bogotensis pueros et iuvenes novae Dioecesis Zipaquirensis ad clericalem ordinem destinatos, uti antea, ad suum Seminarium admittere perget.

VII) Quod autem attinet ad novae Dioecesis regimen et administrationem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi servanda decernimus quae sacri canones praescribunt. Quod ad clerum praecique spectat iubemus ut, simul ac novae Dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerici Dioecesi illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt. Alumni autem, sive sint clerici sive non, qui nunc in Seminario Bogotensi instituuntur ac domicilium habent in territorio Dioecesis Zipaquirensis, eidem Dioecesi assignentur.

VIII) Volumus denique ut omnia documenta et acta quae novam hanc Dioecesim, eiusque tum clericos et fideles tum bona temporalia respiciunt, ad huius Dioecesis cancellariam ut in eius tabulario diligenter serventur, ab archiepiscopali Curia Bogotensi quamprimum transmittantur.

Ad quae omnia, ut supra disposita, perficienda venerabilem Fratrem in Columbiana Republica Nuntium Apostolicum vel eum qui in exsecutionis actu Nuntiaturae illi praeerit, deligimus, eidemque necessarias ad id et opportunas attribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus facimus fide dignum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, transmittendi. Has autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore volumus suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id irritum prorsus et inane esse ac fore decernimus; non obstantibus regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem iis quae has Litteras a Nobis decreta sunt contraire liceat. Si quis id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omni-

potentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die primo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

E. Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXIII, n. 96.

II

DE KIVU ET BALDUINOPOLITANUS (KASONGOËNSIS)

A VICARIATIBUS APOSTOLICIS DE KIVU ET BALDUINOPOLITANO TERRITORII PARS SEIUNGITUR, QUA NOVUS ERIGITUR VICARIATUS, « KASONGOËNSIS » NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pro supremi quem gerimus Apostolatus munere nihil Nobis omittendum putamus, quod Christi nominis inter ethnicas gentes propagationi proficere videatur. Hoc Nostrae sollicitudinis officium modo requirunt Vicariatus Apostolici de Kivu et Balduinopolitanus in Congo Belgico, ambo sodalibus Societatis Missionariorum Africae (vulgo « Pères Blancs ») concrediti, qui tam late patent, ut opportunum existimemus territorii partem ex illis seiungere ad novum Vicariatum erigendum. Quam ob rem de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Propagandae Fidei praepositorum, audita sententia venerabilis Fratris Petri Sigismondi, Archiepiscopi titulo Neapolitani in Pisidia et Apostolici in Congo Belgico et in Ruanda-Urundi Delegati, re mature perpensa, ea quae sequuntur statuere decrevimus. Suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, suprémae Nostrae potestatis pleni-

tudine, limitibus Vicariatuum Apostolicorum Stanleypolitani, de Kivu et Balduinopolitani aliquatenus immutatis, a Vicariatus de Kivu totam regionem quae ad meridiem et ad occidentem vertit, quaeque territoria civilia de *Shabunda*, de *Mwenga* et *de Fizi* completitur, separamus. Item a Vicariatu Balduinopolitano totam regionem septentrionalem quae in praesens ad provinciam civilem de Kivu pertinet, distrahimus. Ex hisce ita avulsis territoriis novum erigimus et constituimus Vicariatum Apostolicum « Kasongoënsem » nuncupandum, eumque curis eiusdem Societatis Missionariorum Africae, cuius sodales iam in regione illa sollerti studio allaborant, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, committimus. Ad hunc igitur Vicariatum Kasongoënsem iura et onera spectabunt, quae ceterorum Vicariatuum sunt propria. Eius vero pro tempore Praesulibus hinc iura, privilegia et potestates competent, hinc onera et obligationes, quae communiter eiusmodi Praesulibus competunt.

Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum autem Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die decimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus Nostri decimo tertio.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXIII, n. 13.

III

LAHORENSIS
(DE YULLUNDUR)

A DIOECESI LAHORENSI PARS DISTRAHITUR, EX QUA, TERRITORIO DE YAMMU EXCEPTO, NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA NOMINE « DE YULLUNDUR ».

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter ceteras curas, pro supremi Nobis divinitus commisso Apostolatus officio, non ultima sane est consulere ut ecclesiasticae circumscriptiones civilibus, quantum fieri potest, respondeantur. Huius Nostri muneris partes modo requirit Dioecesis Lahorensis, quae, post Rempublicam sui iuris Pakistanam constitutam, in duas partes divisa mansit, quarum altera intra ipsius Reipublicae fines, altera vero intra limites Indianae Reipublicae. Cuius condicionis incommoda ut avertatur, Nos, consilio collato cum dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinale, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, libenter audientes preces huic S. Sedi admotas, re plene cognita, ac suppleto, quatenus opus sit quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, ea quae sequuntur Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine decernimus. A Dioecesi Lahorensi partem seiungimus, intra Reipublicae Indianae fines sitam, atque hac avulsa parte, territorio excepto Statum de Jammu olim efformante, cuius ecclesiastico regimini Nostris sub plumbo Litteris *Aptiori Christifidelium* hoc ipso die datis aliter prospicimus, novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, quam « De Jullundur » ab ipsius nominis urbe appellari volumus. Novam hanc Praefecturam Apostolicam sollertibus curis sodalium Anglicae Provinciae Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum committimus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum. Ad eandem igitur Praefecturam iura et onera spectabunt quae ceterarum Praefecturarum sunt propria; eius vero pro tempore Praesulibus hinc iura, privilegia et potestates competent, hinc onera et obligationes, quae iure communi eiusmodi Antistitibus competunt. Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus

haberi fidem, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti ac voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die decimoseptimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus Nostri tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleucien., *Decanus Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXIII, n. 25.

IV

DE DINAJPUR (JALPAIGURIENSIS)

A DIOECESI DE DINAJPUR TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, IN INDIANA REPUBLICA SITA, ATQUE EX EA NOVA ERIGITUR DIOECESIS « JALPAIGURIENSIS » METROPOLITANAE ECCLESIAE CALCUTTENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nullam sibi viam ac rationem Apostolica Sedes praetereundam existimat, quae ad christiani populi administrationem magis aptae atque accomodatae habeantur. In quo sane genere censendum est providere ac prospicere ut quibus circumscribatur civilis regio finibus, cum fas est, ab iisdem ne discrepent ecclesiasticarum regionum fines. Cuius Nostri muneris partes modo requirit Dioecesis de Dinajpur, quae, post Rempublicam sui iuris Pakistanam constitutam, ita mansit divisa ut pars eius potior una cum sede episcopali intra illius Reipublicae fines exstet, pars vero minor, duos civiles districtus de Jalpaiguri et de Cooch Bear complectens, intra Indianae Reipublicae fines iaceat. Ex hac locorum condicione cum non pauca oriri possint ecclesiastico regimini incom-

moda, Nos, precibus moti huic Santae Sedi adhibitis, consilio collecto cum dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinale S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, re mature considerata ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, ea quae sequuntur Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine decernimus. A Dioecesi de Dinajpur quos supra diximus civiles districtus de Jalpaiguri et de Cooch Bear, in Indiana Republica positos, seiungimus atque ex iis novam erigimus et constituimus dioecesim, ab urbe *Jalpaiguri* « Jalpaiguriensem » nuncupandam, et eam quae sub S. Congregationis de Propaganda Fide iurisdictione erit, sedulis curis alumnorum Instituti Pontificii a Ss. Apostolis Petro et Paulo et a Ss. Ambrosio et Carolo pro Missionibus ad Exteras Gentes committimus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum. Huius autem novae Dioecesis episcopalem sedem in urbe *Jalpaiguri,* a qua Dioecesis ipsa nomen mutuatur, constituimus, quam propterea urbem ad civitatis episcopalis dignitatem evehimus. Quoad vero Episcopi cathedram facultatem facimus primo Jalpaiguriensi Antistiti eam collocandi in illo eiusdem urbis *Jalpaiguri* templo, si plura exstent, quod eidem Antistiti ad id aptius videatur, vel si nullum adhuc exstet in templo quamprimum aedificando, quod propterea ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem ex nunc evehimus. Ad hoc porro Cathedrale templum iura et onera spectabunt, quae ceterorum Cathedralium templorum sunt propria. Eius vero pro tempore Praesulibus hinc iura et privilegia, honores et praerogativae competent, hinc onera et obligationes, quae ex iure communi ad Dioecesium Episcopos spectant. Novam hanc Jalpaiguriensem Dioecesim suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Calcuttensi, cuius idcirco Archiepiscopi metropolitico iuri Jalpaigurienses pro tempore Episcopos subiectos volumus. Cum autem locorum et huius temporis adiuncta haud permittant quominus in Jalpaiguriensi Dioecesi Canonicorum Capitulum modo erigatur, indulgemus ut interim pro Canonicis dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur, qui Episcopo tum in sacris ritibus exercendis, tum in aliis postoralibus muneribus obeundis consilio et opera praesto sint. Mensam episcopalem constituent, praeter subsidia quae S. Congregatio de Propaganda Fide conferre poterit, bona, si quae sint, ad novam Dioecesim pertinentia, fidelium oblationes et Curiae emolumenta. Ad iuvenum in spem Ecclesiae succrescentium institutionem volumus ut seminarium dioecesanum, saltem parvum, cum fieri poterit, erigatur, iuxta Codicis Iuris Canonici praescripta et a S. Congregatione de Propaganda Fide traditas normas. Quod autem attinet ad huius novae Dioecesis regimen et administrationem, ad Vi-

carii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri Canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat volumus ut, postquam hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Dioecesi illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt. Volumus insuper ut, hisce Litteris ad effectum adductis, documenta omnia et acta ad modo erectam Dioecesim pertinentia ab episcopali Cancellaria de Dinajpur Dioecesis Jalpaiguriensis Curiae tradantur ut in eius archivo diligentissime serventur. Ad omnia quae hisce Nostris Litteris statuta sunt ad exsecutionem mandanda venerabilem Fratrem Iacobum Cornelium van Mittenburg, Archiepiscopum Karachiensem, et in Occidentali et Orientali Pakistana Republica Delegatum Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Delegationi illi Apostolicae praeerit, deputamus, eique necessarias et opportunas attribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus fide dignum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamprimum trasmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Nemini ergo hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, commissionis, subiectionis, deputationis, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die decimoseptimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus Nostri tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXIII, n. 22.

V

DE DINAJPUR
(DE MALDA)

DISTRICTUS CIVILES DE MALDA ET DE WEST DINAJPUR, A DIOECESI DE DINAJPUR DISTRACTI, PRAEFECTURAM APOSTOLICAM DE MALDA EFFORMANT.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Tam opportunum est ecclesiastica territoria a civilibus territoriis, cum per rerum adiuncta licet, non discrepare, ut nemo sane in dubitationem id vocare possit; cum eam ob causam expeditius atque commodius rei christianae explicetur moderatio. Quapropter, preces Nobis admotas audientes, ac consilio collato cum dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali S. Congregationis Fidei Propagandae Praefecto, Nos, re diligenter considerata, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, de potestatis Nostrae plenitudine, ea quae sequuntur statuimus. Cum, post Pakistanam Rempublicam contitutam, pars potior Dioecesis de Dinajpur eiusque Episcopi Sedes ad eiusdem Reipublicae territorium pertineat, ex hac dioecesi utile esse existimamus seiungere ac revera seiungimus regiones civiles de Malda et de West Dinajpur, ad Indianam Rempublicam pertinentes, ex iisdemque novam efformamus Praefecturam Apostolicam, quam « de Malda » appellari iubemus, atque curis alumnorum Instituti Pontificii a Sanctis Apostolis Petro et Paulo atque a Sanctis Ambrosio et Carolo concredimus. Ad hanc autem novam Praefecturam de Malda omnia spectabunt iura et onera, quae ceterarum Praefecturarum sunt propria. Eius vero pro tempore Praefectis Apostolicis hinc iura, privilegia et potestates competent hinc onera et obligationes, quae huiusmodi Praesulibus iure communi competunt. Quae omnia, ut supra a Nobis disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, com-

missionis, statuti, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, die decimo septimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleucien., *Decanus Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXIII, n. 23.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BEATA MARIA VIRGO, « DEL ESPINO » VULGO NUNCUPATA, OPPIDI « LIETOR » IN FINIBUS ALBASITENSIS DIOECESIS CAELESTIS PATRONA CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Almam Deiparam, « del Espino » vernaculo usu appellatam, quae numquam defuit temporibus ipsorum, cives oppidi « Lietor », in finibus dioecesis Albasitensis, iam pridem sibi elegerunt Patronam ac Tutricem. Eiusdem igitur amore perciti, die quinta mensis Augusti praecipuo Eam honore quotannis celebrare consueverunt. Quam electionem ut Nostra auctoritate confirmare ratamque habere dignaremur, Venerabilis Frater Arturus Tabera Araoz, Episcopus Albasitensis, vota excipiens eiusdem loci curionis, moderatorum omnisque populi, Nobis supplicavit. Quibus precibus libenter admissis auditoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpe-

tuumque in modum Beatam Mariam Virginem, « del Espino » vulgo nuncupatam, oppidi « Lietor », quod vocant, praecipuam apud Deum Caelestem *Patronam* confirmamus seu constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus, quae principalibus locorum Patronis competunt. Contrariis quibusvis nihil ostantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Iunii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

BEATA MARIA VIRGO IN CAELUM ASSUMPTA TOTIUS PARAQUARIANAE REIPUBLICAE EIUSDEMQUE NATIONIS COPIARUM CAELESTIS PATRONA ELIGITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Servat gens Paraquariana traditum a maioribus morem ut Deiparam Mariam in Caelum Assumptam peculiari prosequatur reverentia perpetuoque celebret honore. Iamvero ipsis rerum eiusdem initiis praefuit inclita Dei hominumque Parens, quandoquidem eius simulacrum ab illis qui eam regionem primi subegerunt quasi gloriosum vexillum est prolatum, ab iisque nomen « Dominae Nostrae Assumptae » inditum fuit castello, quod caput evasit totius dicionis Paraquarianae. Postquam autem Paulus PP. III, Decessor Noster, anno MDXLVII, episcopalem sedem ibi collocavit, Beata Maria Virgo Caelo recepta, illius provinciae praecipua tutrix ac patrona cóepta est haberi eiusque dies festus maximis frequentari sollemnibus. Neque de-

fuit Alma Dei Genetrix, pie exorata, populi sui temporibus, potissimum cum hic de libertate dimicaret. Hoc etiam memorandum a Sacrorum Antistitibus pluries ad hanc Apostolicam Sedem preces delatas esse ut dogma definiretur Deiparam corpore et anima ad supernam gloriam esse evectam. Cum igitur tanta sit huius Mysterii apud eam nationem religio, Venerabilis Frater Hannibal Mena Porta, Archiepiscopus Sanctissimae Assumptionis, nomine quoque ceterorum Praesulum atque Administri ab exteris negotiis et cultibus Reipublicae Paraquarianae, Nos rogavit ut Beatam Mariam Virginem in Caelum Assumptam universae Civitatis Paraquarianae eiusdemque nationis Copiarum praecipuam apud Deum Patronam renuntiare dignaremur. Nos vero quibus, arcano Dei consilio, optatissimum datum est tempus certam Assumptionis pronuntiandi veritatem, votis huiusmodi libenti animo statuimus obsecundare. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatissimam Virginem Mariam in Caelum Assumptam totius Reipublicae Paraquarianae eiusdemque nationis Copiarum praecipuam apud Deum Caelestem *Patronam* constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus nationum et coetuum Patronis competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Iulii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

ECCLESIA B. MARIAE V. IN CAELUM ASSUMPTAE, IN OPPIDO « SESTRI PONENTE » ARCHIDIOECESIS IANUENSIS, DEO DICATA, TITULO BASILICAE MINORIS CONDECORATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ligurum terra litoris et montium amoenitate est illustris, nobilior autem propter Aedes Beatae Mariae Virgini sacras, quibus affluit maxime. In his numerum obtinet Templum Dei Genetrici in Caelum Assumptae dicatum, quod in singulare vertit ornamentum oppidi « Sestri Ponente » vulgo nuncupati et intra fines Ianuensis Archidioecesis positi. Haec quidem Aedes, quae anno MDCX coepta est aedificari, amplitudine et cultu in primis excellit: admireris potissimum signa Prophetarum, Imaginem Almae Deiparae Caelo receptae, quam Iulius Benso in media camera summa colorum venustate depinxit, maximum quoque altare et tabernaculum, ad artis rationem egregie confecta. Frequens populus sacris ibi solet interesse nihilque videtur desiderari quod ad divinorum rituum dignitatem ac splendorem. Quo igitur Templo maior adiungeretur honor, praesertim postquam dogma a Nobis definitum est Beatam Mariam Virginem corpore et anima ad caelestem gloriam esse assumptam, Venerabilis Frater Iosephus Siri, Archiepiscopus Ianuensis, Nos rogavit ut eam Aedem Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenter admissis auditoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Beatae Mariae Virgini in Caelum Assumptae sacram et in oppido « Sestri Ponente », intra fines Ianuensis Archidioecesis, exstantem, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare

poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die x mensis Augusti, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

INTERNUNTIATURA APOSTOLICA IN IAPONIA ERIGITUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Qui laeto animo accepimus in sua iura non ita pridem esse redintegratam nationem Iaponiensem, eius moderatorum consilium ut ipsi cum hac Apostolica Sede publicae officiorum intercederent rationes, magnopere probavimus. Huiusmodi enim necessitudines multum solent valere ad communem augendam utilitatem et ad veram pacem inter homines firmandam. Quapropter, *motu proprio*, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, in Iaponiensi Imperio *Internuntiaturam Apostolicam* erigimus, cuius sedem in urbe principe Tokieno constituimus. Eidem igitur sic per Nos erectae Internuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Legationum propria sunt. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; ipsique Legationi constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quid-

quam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Aprilis, anno MCMLII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

V

VENERABILIS DEI FAMULA RAPHAËLA MARIA A SACRO CORDE IESU, VIRGO, CONGREGATIONIS ANCILLARUM SSMI CORDIS IESU FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quod Christus Dominus Servator noster Bethaniae, apud Lazarum amicum suum commorans, gessit et dixit, huiusmodi fuit ut per saecula fidelibus lex vitae foret praeclarumque exemplum. Bethaniae enim Christus ipse, cum a duabus Lazari sororibus, Martha et Maria, tam laetanter exceptus hospitio esset, geminas illas religiosae vitae rationes, « activam » quam dicunt et umbratilem, sacravit, hanc altiorem quidem edicens esse eandemque magis Deo gratam hisce verbis: « Maria optimam partem elegit, quae non aureretur ab ea » (*Lc.*, X, 42). Nova profecto his temporibus dici potest orta quaedam Bethania in illa Sanctorum feraci regione, Hispania, ubi Maria a Doloribus et Raphaëla germanae, ut iniurias Deo illatas expiarent, sacrarum virginum Congregationem instituerunt cuius esset Dominum, panis sub specie velatum et sollemni cultu e sublimi propositum solio, perpetuis adorare obsequiis. Quarum sororum altera Marthae, Mariae vero altera merito comparanda videtur. In pago Hispano sermone nuncupato « Pedro-Abàd », dioecesis Cordubensis, natae et a piissimis parentibus Ildefonso Pòrras y Gaytàn atque Raphaëla Ayllón y Castillo, divitiis affluentibus, in Fide Dei et caritate Christi recte institutae, inter se indole et ingenio valde differebant; ex quibus ei quae, animum a saeculi studiis avocans, caelestium se rerum dederat contemplationi, Beatorum Caelitum honores tribuere hodie decre-

vimus. Haec sane, Raphaëla nempe, die prima mensis Martii, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, feria sexta, Divino Iesu Cordi praecipue sacra, nata est et, salutaribus Baptismi aquis postridie abluta, a pueritia docilem ac mitem omnibus se ostendit. Septennis Angelorum pane primum enutrita et sacro chrismate sequente anno signata, quantum in supernaturalibus virtutibus adipiscendis profecerit, tum domi tum apud propinquos et oppidi pauperes clare apparuit, iisdemque virtutibus, potissimum ob perpetuae virginitatis votum ab ea adhuc puella nuncupatum, citius eminuit. Quas inter humilitas, modestia, caritas in egenos praefulserunt nec non in adversis animi firmitas ac plena in Deum fiducia, prout, matre ac fratribus demortuis, palam monstravit. Attamen ipsa securiorem vitae rationem iniit, cum in patrio oppido ad asperas terendas sanctitatis semitas ab optimo curione Iosepho Ibarra incitaretur ac praesertim a sacerdote illo Dei amore flagrante, Iosepho Antonio Ortíz Urruela, in urbe Corduba, in qua apud Clarales virgines prius ac dein apud Sorores Mariae Virginis a « Reparatione » cum germana commorabatur. Idem enim sacrorum administer, postquam earum animos per biennium moderatus est, novam religiosam Familiam condere sategit eidemque, die decima quarta mensis Octobris, anno millesimo octingentesimo septuagesimo sexto, Raphaëlam praeposuit. Hinc ortum habuit Hispanica Sororum Congregatio Sacri Cordis Iesu a « Reparatione », quae postea « Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu » ab Apostolica Sede fuit appellata. Huius prima Suprema Moderatrix ipsa Raphaëla Pòrras y Ayllón fuit, accepto nomine Raphaëla Maria a Sacro Corde, quae una cum sorore Maria a Columna, vulgo « del Pilar », amplissimas domesticas fortunas ad incrementum Congregationis perlibenter obtulit. Hinc quoque prodierunt tum novo Instituto tum Fundatrici plures et graves angustiae, adeo ut Congregatio ipsa, adhuc recens ab ortu, per Hispaniam huc illuc se conferre coacta fuerit: ab urbe Corduba ad oppidum « Andujar » ac denique Matritum, quam sedem Venerabilis Dei Serva tantopere expetiverat; ubi vero in plures novosque dolores incidit. Attamen Raphaëla Maria, sui immemor et in maiorem Dei gloriam dumtaxat intenta, novitias « reparationis » spiritu imbuere, novas aedes condere novasque Constitutiones iis tradere verbo et exemplo impense studuit. Voluit autem, qua erat prudentia, ut Sorores sibi subditae duplicem spiritualis vitae rationem observarent: alteram mysticam seu umbratilem ante aras, Sacramento Augusto palam proposito; alteram actioni deditam; puellis, praecipue pauperibus, instituendis, mulieribus ad exercitia spiritualia recipiendis, Eucharisticis coetibus ubique condendis. Commendavit potissimum ut omnes sese abnegandi devovendique

studium assequerentur. Plurimis superatis difficultatibus iisque invicta patientia toleratis, Venerabilis Fundatrix, anno millesimo octingentesimo octogesimo sexto, per Decretum laudis et insequente anno per definitivam approbationem Instituti, novissimo aucti nomine, Apostolicae Sedis sententiam velut supernum donum ac praemium accepit. Die autem decima tertia mensis Maii eodem anno a primo Generali Sororum Capitulo Suprema Moderatrix fuit renuntiata. Quod tamen munus, cum pro Dei Famula ad aemulanda charismata meliora (cfr. *I Cor.*, XII, 31), ad sanctitatis semitas magis ingrediendas ac denique ad exemplum strictioris observantiae subditis praebendum esset incitamentum, occasionem quoque obtulit ut Deus suae Famulae virtutes, praesertim patientiam et humilitatem, « tamquam aurum in fornace » (*Sap.*, III, 6), probaret. Etenim, ex Dei providentia, de tantae Antistitae moderandi ratione, licet sapienti et ad novitiarum profectum praecipue spectante, minus recte sentiebatur; unde factum est ut, augescentibus in re oeconomica difficultatibus, Sorores in contrarias abirent opiniones. Eo tandem perventum est, ut Venerabilis Dei Famula, ad Instituti concordiam tuendam, summam potestatem deponeret quod non sine moerore, aequo tamen animo, fecit. Quae incomparabilis fuerat novitiarum magistra, insigne demissionis et humilitatis exemplum omnibus facta est. Heroicam enim duxit per triginta amplius annos vitam, Romae potissimum, eiusdemque memoria adeo fuit oblitterata, ut non modo ei nulla umquam munera crederentur, sed etiam Sodales novissime Congregationi adlectae eam fuisse Fundatricem et Supremam Moderatricem nescirent omnino. At ipsa, uni Deo confisa, omnia tacite toleravit, humillimis contenta officiis atque Sacratissimo Cordi Iesu constanter devota. Bis tantum solacio recreata est: cum, novae Antistitae permissu, Congregationis domus in Hispania inviseret, ubique fulgentia mansuetudinis exempla atque optima spiritualis vitae consilia Sororibus ac novitiis tribuens; et postea anno millesimo nongentesimo decimo quarto, quo domus princeps ab Hispania, prout ipsa vehementer optaverat, Romam fuit translata. Extremo vitae spatio gravissimos dolores, invicta constantia et animi gaudio toleratos, perpessa est. Caelestis Sponsus tandem adventans prudentem virginem fidamque ancillam Raphaëlam Mariam paratam invenit: etenim die festo Epiphaniae Domini, anno sacro millesimo nongentesimo vicesimo quinto, Romae de vita excedens, ad sempiternam nuptiarum beatitatem evolavit. Funera, ad Constitutionum praescriptum peracta, parum cultus et apparatus habuerunt. Deus autem Famulae Suae maximum adiunxit honorem, eius famam virtutum, quae in dies crebrescebat, signis caelestibus comprobando. Quapropter Causa

de Raphaëla Maria a Sacro Corde Iesu Beatorum agminibus annumeranda coepta est agitari; qua quidem, post processus ordinarios, penes Sacram Rituum Congregationem adornata, introductionis Commissio a Nobismet Ipsis die vicesima secunda mensis Novembris, anno millesimo nongentesimo trigesimo nono, est obsignata. Apostolicis deinde inquisitionibus iuxta memorati fori instituta perfectis, de Famulae Dei virtutibus sive theologalibus sive cardinalibus inita est disceptatio, quas, omnibus rebus expensis seduloque perspectis, Nos, decreto die tertia decima mensis Maii, anno millesimo nongentesimo undequinquagesimo, expedito, heroicum attigisse fastigium ediximus. Cum deinde quaereretur de miraculis, quae, Serva Dei Raphaëla Maria intercedente, a Deo ferebantur patrata, Nos, lato decreto die tertia decima mensis Ianuarii, hoc anno millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, de duobus pronuntiavimus constare. Hoc tantum superfuit excutiendum, utrum Famula Dei inter Beatos Caelites tuto foret recensenda; quod quidem dubium propositum est a Venerabili Fratre Nostro Friderico Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Tedeschini, Episcopo Tusculano Nostroque Datario, Causae Ponente seu Relatore, in Generali Congregatione, die vicesima nona mensis Ianuarii eiusdem anni coram Nobis celebrata. Omnes autem, qui adfuerunt, cum Purpurati Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi tum Praelati Officiales Patresque Consultores id fieri posse cunctis suffragiis affirmaverunt. Nos tamen mentem distulimus aperire, quo ad tantam ferendam sententiam maiorem superni adiumenti copiam, enixis precibus ad Deum admotis, impetraremus. Itaque secundo mensis Martii die, natali Nostro atque creationis in Summum Pontificem anniversario, eodem quem diximus anno, postquam sacris pie sumus operati, accitis Venerabilibus Fratribus Nostris Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, necnon memorato Cardinali Causae Relatore, Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo et Sacri Consilii Religionis Ritibus praepositi Viro a secretis, atque dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad Venerabilis Famulae Dei Raphaëlae Mariae a Sacro Corde Iesu Beatificationem *tuto* procedi posse ediximus. Quae cum ita sint, Nos, vota Congregationis Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu explentes, harum Litterarum vi Nostraque Apostolica auctoritate, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Serva Raphaëla Maria a Sacro Corde Iesu, Virgo, *Beatae* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam

ut eiusdem Beatae imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de illa quotannis recitetur Officium de Communi Virginum cum lectionibus propriis per Nos approbatis et Missa de eodem Communi cum orationibus propriis approbatis celebretur iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in dioecesibus Cordubensi, cuius intra fines Beata ipsa orta est, et Romana, in qua diem obiit supremum, itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Congregatio Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu utitur, ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur et, quod ad Missas attinet, a sacerdotibus omnibus, ad templa seu sacella, in quibus eiusdem Beatae festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Raphaëlae Mariae a Sacro Corde Iesu, servatis servandis, supra dictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate statuendis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, eadem prorsus fides adhibeatur quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Maii, Dominica V post Pascha, anno MCMLII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EMUM P. D. ERNESTUM TIT. SANCTAE SABINAE S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM RUFFINI, ARCHIEPISCOPUM PANORMITANUM, QUEM LEGATUM SUUM RENUNTIAT PLENARIO CONCILIO SACRORUM SICILIAE ANTISTITUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. — Sicilia, haud minus christianae humanitatis fastis et gloriis quam situ, soli felicitate caeloque praeclara, tanto Nobis in amore est, ut si quid ei contingat, quod ibidem religionis incrementum et decus adaugeat, et provehat, peculiare animo Nostro comparet oblectamentum. Quare summopere gavisi sumus, cum nuper percepimus Siciliae sacrorum Antistites Plenarium indixisse Concilium; eosque velle hoc in instruendo tantum operae et sollertiae ponere, ut cleri et fidelium disciplinae et catholicae fidei profectui varii generis inde emolumenta exoriantur.

Quocirca Revmus Dominus Carolus Calaf, Causae huius Postulator legitime constitutus, enixas Emi ac Revmi Archiepiscopi S. Pauli in Brasilia, plurium Archiepiscoporum et Episcoporum, omniumque Filia-

rum Mariae Immaculatae atque earumdem alumnarum preces humiliter Summo regnanti Pontifici nostro, Pio Papae XII, porrexit, ut reassumptionem Causae Canonizationis praedictae Beatae suprema qua pollet auctoritate decernere benigne dignaretur. Quare Emus ac Revmus Dominus Cardinalis Alexander Verde, Causae ipsius Relator, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis coetu, die 4 mensis Martii anni decurrentis in Apostolico Palatio Vaticano habito, proposuit. Emi et Revmi Patres Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Promotore Generali Fidei, omnibus mature perpensis, respondere censuerunt: *Affirmative, seu: Signandam esse commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis praedictae Beatae, si Sanctissimo placuerit.*

Relatione postea de his omnibus subsignata die per subscriptum Cardinalem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII facta, Sanctitas Sua, rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, manu propria *signare dignata est commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis Beatae Vincentiae M. Lopez Vicuña.*

Datum Romae die 14 Martii A. D. 1952.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

II

VICEN. seu BARCINONEN.

CANONIZATIONIS BEATAE IOACHIMAE DE VEDRUNA VID. DE MAS, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM CARMELITARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Reassumptionis causae Canonizationis praedictae Beatae in casu et ad effectum de quo agitur.

Beata Ioachima de Vedruna omnibus vitae suae diebus, qua puella, qua sponsa, qua materfamilias, qua vidua et mater legifera novae Familiae infirmis curandis et egenis puellis recte instituendis dicatae, virtutibus omnibus, maxime vero caritate in Deum ac proximum, mirum excelluit in modum. Ideo Deus, retributor iustus et magnificus, generosam Servam suam, Beatificationis honoribus die 19 Martii anni 1940 cumulavit, sed et videtur eam ulteriori quoque gloria hisce in terris

munificentius extollere velle, novis eius interventione patratis, uti fama est, signis.

Quapropter postulatoriae litterae Sanctissimo Dño Nostro Pio Papae XII sunt porrectae, ut eiusdem Beatae Causa Canonizationis apud Sacram hanc Congregationem resumi queat, inter quas recensentur eae, quae datae sunt ab Exmis et Revmis Archiepiscopis Valentino, Compostellano, Tarraconensi, ab Episcopis Vicensi, Ovetensi, Zamorensi nec non a Generali Moderatrice Instituti Sororum Carmelitarum a Caritate a Beata fundati.

Instante itaque Revmo P. Augustino a Virgine, Ordinis Excalceatorum Ssmae Trinitatis, Causae huius legitime constitutis Postulator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, die 4 Martii mensis anni huius habito, infrascriptus Cardinalis, eiusdem S. Congr. Pro-Praefectus et Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum *An signanda sit commissio Reassumptionis Causae Canonizationis praedictae Beatae in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi autem et Revmi Patres Cardinales, sacris ritibus tuendis praepositis, omnibus perpensis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, rescribere censuerunt: *Affirmative* seu *Signandam esse commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis eiusdem Beatae, si Sanctissimo placuerit.*

Facta demum subsignata die Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII a subscripto Cardinali Pro-Praefecto, de his omnibus relatione, Sanctitas Sua, rescriptum Eminentissimorum Patrum ratum habens, propria manu *Commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis Beatae Ioachimae de Vedruna Vid. de Mas signare benigne dignata est.*

Datum Romae, die 14 Martii A.D. 1952.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

III

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS BEATI AEGIDII MARIAE A SANCTO IOSEPH, LAICI PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM.

SUPER DUBIO

Ad signanda sit Commissio Reassumptionis Causae Canonizationis praedicti Beati in casu et ad effectum de quo agitur.

Placuit Deo, Iudici iusto, eos qui vitae sanctitate omniumque virtutum heroica exercitatione Eum in terris glorificarunt, post eorum mortem saepe apud homines celebrari. Inter eos, in quibus Deus clarificatus est, probe recensendus est humilis Minoritici Ordinis alumnus, Frater Aegidius Maria a Sancto Ioseph, Tarentina in civitate, die 16 Novembris anni 1729, parentibus sane ingloriis, sed pietate illustribus, natus. Cuius post mortem, fama sanctitatis, qua apud cives Neapolitanos ac Tarentinos praecipue gaudebat, in dies percrebrescente, Deo eam signis et prodigiis confirmante, canonici instituti sunt Processus de eadem fama, de heroicis virtutibus deque miraculis, quibus rite examinatis et recognitis, Leo Papa XIII die 21 Novembris 1887, Beatorum albo humilem Fratrem sollemniter accensuit.

Sancita autem ab Apostolica Sede Dei Famuli veneratione, christiani populi pietas magis magisque exardescit, non sine fama novorum prodigiorum, eo intercedente, a Deo patratorum, inter quae aliqua veri nominis miraculi signa praebent. Hinc spes affulget Deum velle Beatum Aegidium Mariam ad supremum sanctitatis fastigium evehere.

Hunc in finem Tarenti, adprobante Archiepiscopo et plaudente et favente auctoritate quoque civili, coetus institutus est ad promovendam Canonizationem Beati concivis. Interim quamplurimi postulatorias litteras Sanctissimo D. N. Pio Papae XII porrexerunt, ut dignaretur signare Commissionem pro Reassumptione Causae Canonizationis et pro construendis Apostolicis processibus de miraculis Beato Aegidio tributis. Quibus petitionibus laetanti animo se adiunxerunt Archiepiscopus Tarentinus, Episcopus Uritanus, Administri rei civilis urbium Neapolis et Tarenti, Minister Generalis O. F. M., Ministri Provinciales Neapolitanae et Lyciensis regionis, aliique ex Clero et laicatu.

Quapropter, instante Revmo P. Fortunato Scipioni, Ordinis Fratrum Minorum Postulatore Generali, infrascriptus Card., S. R. C. Pro-Praefectus et Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Ri-

tuum coetu die 4 Martii huius mensis habito, dubium proposuit: *An signanda sit commissio Reassumptionis Causae praedicti Beati in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi ac Revmi DD. Patres Cardinales, sacris ritibus tuendis praepositi, omnibus hisce perpensis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, rescribere censuerunt: *Affirmative* seu *Signandam esse commissionem Reassumptionis causae Canonizationis praedicti Beati, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem subsignata die SS. D. N. Pio Papae XII per infrascriptum Cardinalem Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua, rescriptum Emorum Patrum ratum habens, manu Sua *commissionem Reassumptionis causae B. Aegidii Mariae a S. Ioseph signare dignata est.*

Datum Romae die 14 Martii A. D. 1952.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

IV

ASTEN. seu TAURINEN.

CANONIZATIONIS BEATI DOMINICI SAVIO, ADOLESCENTIS LAICI, ALUMNI ORATORII SALESIANI.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Reassumptionis causae Canonizationis praedicti Beati in casu et ad effectum de quo agitur.

«Senibus intellegentior sum, quia praecepta observo» (Ps. 118, 100). Beatus Dominicus Savio vere sapiens fuit non solum cognomine sed etiam rei veritate. Vix enim rationis assecutus usum, incredibili animi ardore et studio caelesti convivio interfuit atque Deo sese devovens se malle mori quam Deum culpa offendere apud semet constituit; ad quod propositum fideliter tenendum breviculum vitae curriculum totis direxit viribus. Timorem proinde Dei initium esse sapientiae, divina testante Scriptura, Beatus Dominicus Savio docet omnes.

Vix huius angelici iuvenis Beatificationis solemnia die 5 Martii Anni Iubilaei Maximi 1950, in Vaticana Basilica, summa universae iuventutis catholicae laetitia, fuere celebrata, perseverante non solum, sed et in dies veneratione succrescente in eum, plura spiritualia et

temporalia, eiusdem intercessione, a Deo patrata prodigia feruntur; idcirco ad Canonizationem iter patefieri videtur.

Quapropter Revmus Dominus Franciscus Tomasetti, Piae Societatis Salesianae Postulator Generalis, vota universae Salesianorum Sodalitatis ac iuventutis Actionis Catholicae depromens Ssmum D. N. Pium Papam XII rogavit supplex, ut Beati Dominici Savio Causa Canonizationis resumeretur.

In Ordinario itaque Sacrorum Rituum Congregationis coetu, die 4 Martii mensis habito, Emus ac Revmus Dominus Cardinalis Alexander Verde, ipsius Causae Ponens seu Relator, dubium posuit disceptandum: *An signanda sit Commissio reassumptionis Causae praedicti Beati in casu et ad effectum de quo agitur de eaque retulit.* Emi vero ac Revmi Patres Cardinales, sacris tuendis ritibus praepositi, attentis expositis nec non Postulatoriis Litteris Emi ac Revmi Domini Cardinalis Archiepiscopi Taurinensis, Excmi ac Revmi Archiepiscopi Urbinatensis, Excmorum ac Revmorum Episcoporum Castrimaris Stabiarum, Sancti Severi, Amerini, Casertani et aliorum, auditoque R. P. D. Salvatore Natucci, Promotore Fidei Generali, ceterisque de iure servandis, rescribere censuerunt: *Signandam esse Commissionem reassumptionis Causae Canonizationis praedicti Beati, si Sanctissimo placuerit.*

Facta deinde Beatissimo Patri ab infrascripto Cardinali, die subsignata, relatione, Sanctitas Sua, Eminentissimorum Patrum rescriptum ratum habens, propria manu *Commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis Beati Dominici Savio signare dignata est.*

Datum Romae die 14 Martii 1952.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

V

LUCEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS ANTONII MARIAE PUCCI, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS SERVORUM MARIAE, PAROCHI S. ANDREAE IN CIVITATE « VIAREGGIO ».

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum ac duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Venerabilis Beatificationem.*

Antonius Maria, in saeculo Eustachius, Pucci, in oppido Poggiole in Pistoriensi dioecesi, die 16 Aprilis mensis anno 1819 natus, a teneris unguiculis non communem pietatem portendere visus est, quam ipse iugiter excoluit indeque magno a divina munificentia dono religiosa nempe vocatione meruit honestari.

Eustachius ut securius ac tutius vocanti Deo morem gereret, annos natus octo super decem Servorum Mariae Ordini se adiunxit, mutato Eustachii nomine in Antonium Mariam, spem fovens, se sub tantae Matris patrocinio, ad sanctitatem certo perventurum.

Nec eius spem fefellit eventus. Ad Sacerdotium enim promotus parochi S. Andreae urbis « Viareggio », Lucensis dioecesis, adiutor electus fuit, quod munus tam egregie ac sancte obivit, ut anno 1847 parochiale hoc officium ei fuerit concreditum. Plurima et gravia sunt parochi officia, quae in eo omnium virtutum exercitium requirunt. Antonius Maria omnibus omnia factus nil de se curans diu noctuque in suarum ovium bonum impigre se impendit ac superimpendit. Cholerico morbo annis 1854-1856 saeviente, nil de morbi contagione curans, nulli pepercit industriae, nullam sibi concessit requiem in animorum et corporum salutem. Largus in pauperes, parcissimus sibi, quidquid quomodocumque accipiebat in pauperes effundebat, vere suarum ovium pater. Meritis onustus, civibus complorantibus pretiosam obivit mortem die 12 Ianuarii mensis a. 1892.

Iusta funebria triumphalis potius pompae instar ipsi sunt persoluta. Eius memoria in benedictione permansit cum sanctitatis fama. Haec per causae beatificationis Introductionem die 13 Aprilis anno 1932 canonice probata fuit. Apostolicis inquisitionibus peractis, Summo Pontifice approbante, die 18 Ianuarii anno 1948 heroicis virtutibus Servum Dei fulsisse a Sacra hac Congregatione fuit decretum, die vero 29 Ianuarii anni huius duo miracula fuere pariter recognita.

Ut autem ad sollemnem Beatificationem queat procedi, a iure praescribitur Rmos Cardinales atque omnes Consultores votum emittere an sentiant Tuto procedi posse ad Beatificationem. Hoc plane factum est; Rmi enim Cardinales ceterique in unanime suffragium affirmativum consenserunt. Beatissimus vero Pater supremam sententiam edere ad hunc usque diem distulit, ut rem coram Deo prudentius perpenderet. Accitis itaque Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, causae Ponente seu Relatore atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Generali Promotore, meque Secretario, divino Sacrificio religiose litato, edixit: *Tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Antonii Mariae Pucci Beatificationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari, in acta S. Rituum Congregationis referri atque Apostolicas Litteras sub Piscatoris anulo, de sollemnibus Beatificationis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit.

Datum Romae, die 6 Aprilis, Dominica Palmarum, A. D. 1952.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

VI

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

DE NOVIS ELLOGIIS IN MARTYROLOGIO ROMANO INSERENDIS

Sanctorum Mater Ecclesia quacumque aetate, maxime vero hodiernis etiam temporibus, perspicua sanctitate floret, filios et filias generando, qui heroicis virtutibus ac miraculorum fulgore eam illustrant. Quorum heroum memoria, ut omnibus fidelibus exemplo sit, in Martyrologio Romano iam ab antiquo commemorari solet. Confecta igitur ellogia novensilium caelitum Sacra Rituum Congregatio Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII approbanda submisit. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto S. R. C. Cardinali Pro-Praefecto, die 9 Maii 1952, praefata

ellogia, prout in adnexis prostant foliis, dignata est approbare, et novis editionibus Martyrologii Romani inserenda esse mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 Maii 1952.

✠ C. Card. MICARA, Episc. Veliternus, *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

ELLOGIA IN MARTYROLOGIO ROMANO INSERENDA

[Pridie Kalendas Februarii (31 Jan.)]

[*Nono loco*]

Neápoli, sancti Francísci Xavérii Maríæ Biánchi, Confessóris, Clérici Reguláris sancti Páuli, signis, donis cæléstibus et admirábili patiéntia illústris, quem Pius Papa Duodécimus ad súpremos honóres sanctórum éxtulit.

[Quarto Nonas Februarii (2 Febr.)]

[*Ultimo loco*]

Burdígalæ, santæ Joánnæ de Lestonnác, Víduæ, Institúti Filiárum beátæ Vírginis Maríæ Fundatrícis, caritátis stúdio ac puellárum instituendárum cura insígnis, quam Pius Papa Duodécimus sanctárum número accénsuit.

[Pridie Nonas Februarii (4 Febr.)]

[*Ultimo loco*]

Bitúricis in Aquitánia, sanctæ Joánnæ de Valois, Gálliæ Réginæ, Ordinis sanctíssimæ Annuntiatiónis beátæ Maríæ Vírginis Fundatrícis, pietáte et singulári Crucis participatióne illústris, a Pio Papa Duodécimo sanctárum fastis adscríptæ.

[Septimo Idus Aprilis (7 Apr.)]

Ad ellogium sancti Joannis Baptistæ de La Salle, post verba « Sodalitátem instítuit », addatur :

Eum Pius Duodécimus, Póntifex Máximus, ómnium Magistrórum púeris adolescentibúsque instituéndis præcípuum apud Deum cæléstem Patrónum constítuit. Ipsíus tamen festum Idibus Maji celebrátur.

[Octavo Idus Maji (8 Maji)]

[*Primo loco*]

In monte Gargáno Apparítio sancti Michaélis Archángeli, quem Pius Papa Duodécimus Radiólogis et Radiumtherapeúticis Patrónum et Protectórem constítuit.

[Quinto Idus Maji (11 Maji)]

[*Ultimo loco*]

Cárali, in Sardínia, sancti Ignátii a Láconi, Confessóris, ex Ordine Minórum Capuccinórum, humilitáte, caritáte et miraculis præclári, quem Pius Papa Duodécimus sanctórum honóribus decorávit.

[Pridie Idus Maji (14 Maji)]

[*Ultimo loco*]

Níciae in Subalpínis, sanctæ Maríæ Domínicæ Mazzaréllo, Confundatrícis Institúti Filiárum Maríæ Auxiliatrícis, quæ humilitáte, prudéntia et caritáte præclára, in album sanctárum Vírginum a Pio Papa Duodécimo fuit reláta.

[Septimo Kalendas Junii (26 Maji)]

[*Ultimo loco*]

In civitáte Quiténsi, Æquatoriánæ diciónis, sanctæ Maríæ Annæ a Jesu de Parédes, Vírginis, e tértio Ordine sancti Francísci, austeritáte et in próximum caritáte præclárae, quam Pius Papa Duodécimus sanctárum Vírginum catálogo adnumerávit.

[Septimo Idus Junii (7 Jun.)]

[*Quarto loco*]

Placéntiæ, sancti Antónii Maríæ Gianélli, Bobiénsis Epíscopi, Fundatóris Congregatiónis Filiárum Maríæ sanctíssimæ ab Horto nuncupatárum, quem Pius Papa Duodécimus inter sanctos Cælites adnumerávit.

[Quarto Kalendas Julii (28 Jun.)]

[*Ultimo loco*]

Lúere, in Diœcési Brixiénsi, sanctæ Vincéntiæ Gerósa, Vírginis, Institúti Sorórum a Caritáte una cum sancta Bartholoméa Capitánio Fundatrícis, quam Pius Papa Duodécimus albo sanctárum Vírginum accénsuit.

[Pridie Nonas Julii (6 Jul.)]

[*Octavo loco*]

Neptúni, in Látio, sanctæ Maríæ Gorétti, piíssimae adolescéntis, in defendénda virginitáte crudelíssime necátae, quam Pius Papa Duodécimus, sanctárum Mártyrum catálogo solémniter accénsuit.

[Septimo Kalendas Augusti (26 Jul.)]

[*Ultimo loco*]

Lúere, in Diœcési Brixiénsi, sanctæ Bartholomææ Capitánio, Vírginis, Instítúti Sorórum a Caritáte Fundatrícis, puéllis instituéndis præclárae, quam Pius Papa Duodécimus albo sanctárum Vírginum adscrípsit.

[Kalendis Augusti (1 Aug.)]

Ad ellogium sancti Alfonsi Mariae de Ligorio post verba: « Doctórem universális Ecclésiæ declarávit », addatur:

, et Pius Duodécimus ómnium Confessariórum ac Moralistárum cælestem apud Deum Patrónum constítuit. Ipsíus vero festívitas sequénti die celebrátur.

[Nono Kalendas Septembris (24 Aug.)]

[*Tertiodecimo loco*]

Massíliae, in Gállia, sanctæ Æmíliæ de Vialár, Vírginis, Fundatrícis Instítúti Sorórum a sancto Joseph ab Apparitióne, fortitúdine, patiéntia et caritáte insígnis, quam Pius Duodécimus, Póntifex Máximus, in Sanctárum número rétulit.

[Octavo Kalendas Septembris (25 Aug.)]

Ad ellogium sancti Josephi Calasanctii post verba: « Ordinem Scholárum Piárum fundávit », addatur:

Eum Pius Duodécimus, Póntifex Máximus, ómnium Scholárum popuárium christianárum ubíque exsisténtium cæléstem apud Deum Patrónum constítuit.

[Tertiodecimo Kalendas Octobris (19 Sept.)]

[*Ultimo loco*]

In vico Druelle, in Diœcési Ruthenénsi, in Gállia, sanctæ Maríæ Guliélmæ Æmíliæ de Rodat, Vírginis, Congregatiónis Sórorum a sancta Família Fundatrícis, puéllis erudiéndis et egénis sublevándis addictíssimæ, quæ a Pio Duodécimo, Pontífice Máximo, inter sanctas Vírgines reláta est.

[Septimo Kalendas Octobris (25 Sept.]

[*Decimo loco*]

Romæ, natális sancti Vincéntii Maríæ Strambi, Epíscopi Maceraténsis et Tolentíni, Congregatiónis a Cruce et Passióne Jesu sodális, pastoráli zelo præclári, quem Pius Papa Duodécimus inter Sanctos rétulit.

[Quinto Nonas Octobris (3 Oct.)]

[*Ultimo loco*]

Savónæ, in Ligúria, sanctæ Maríæ Joséphae Rosséllo, Institúti Filiárum Nostræ Dóminæ a Misericórdia Fundatrícis, quam, caritátis opéribus præcláram, Pius Papa Duodécimus sanctis Virgínibus adnumerávit.

[Nono Kalendas Novembris (24 Oct.)]

[*Septimo loco*]

In Monastério Montis Frígidi, Diœcésis Carcassonénsis, in Gállia, sancti Antónii Maríæ Claret, olim Archiepíscopi Cubáni, Fundatóris Missionariórum Filiórum Immaculáti Cordis beátæ Maríæ Vírginis, animárum zelo et mansuetúdine præclári, quem Pius Duodécimus, Póntifex Máximus, sanctórum fastis adscrípsit.

[Decimo septimo Kalendas Decembris (15 Nov.)]

In ellogio sancti Alberti Magni post verba « Doctórem universális Ecclésiæ declarávit », addatur :

, et Pius Duodécimus cultórum scientiárum naturálium cæléstem apud Deum Patrónum constítuit.

[Undecimo Kalendas Januarii (22 Dec.)]

Ad ellogium sanctæ Franciscæ Xaveriæ Cabrini, post verba « Sanctárum catálogo adscrípsit », addatur :

et ómnium emigrántium cæléstem apud Deum Patrónam constítuit.

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

URBINATEN. seu FIRMANA

NULLITATIS MATRIMONII (BASILI-BURZINSKJ)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dñi Thaddei Burzinskj, in causa conventi, eumdem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Romae, Palazzo della Cancelleria) die 4 Octobris 1952, hora 10, ad concordandum dubium, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Thaddei Burzinskj curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.*

A. Canestri, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 28 Maii 1952.

E. Fiore, *ff. Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Thaddée Burzinskj, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 4 octobre 1952, à 10 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Mr Thaddée Burzinskj devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la presente citation.

II

AQUEN. seu TAURINEN.

NULLITATIS MATRIMONII (PERDOMO-LA PERMA)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Hectoris La Perma, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae, (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 7 Octobris 1952, hora undecima ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An sententia rotalis diei 18 aprilis 1951 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Domini Hectoris La Perma, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.*

F. Brennan, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 25 Iunii 1952.

E. Fiore, *ff. Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Hector La Perma, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siegè du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 7 octobre 1952, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devante la Rote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence Rotale du 18 avril 1951 dans cette cause?

Les Ordinaires des lieux, les curés les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Hector La Perma devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS

D. Utrum verba can. 1053 «*facta permissio transitus ad alias nuptias*» intelligi debeant dumtaxat de permissione facta a Sede Apostolica, an etiam de permissione facta ab Ordinario loci.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. - DE INTERPRETATIONE CAN. 598 § 2

D. I. An uxores Praesidum singulorum Statuum Foederatorum cum comitatu admitti possint intra regularium virorum clausuram ad normam can. 598 § 2.

R. Affirmative.

D. II. Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa an extensiva.

R. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

III. - DE AETATE CONFIRMANDORUM

D. An, attento can. 788, sustineatur mandatum Ordinarii loci vetantis quoninus sacramentum Confirmationis administretur pueris qui aetatem decem annorum adepti non sint.

R. Negative.

IV. - DE LOCO ADSISTENDI MISSAE,
LEGIS DE AUDIENDO SACRO IMPLENDAE CAUSA

D. An, non obstante praescripto can. 1249, legi de audiendo Sacro satisfaciat qui Missae adstiterit in loco de quo in can. 822 § 4.

R. Affirmative.

V. - DE INTERPRETATIONE CAN. 209

D. An praescriptum can. 209 applicandum sit in casu sacerdotis, qui, delegatione carens, matrimonio assistit.

R. Affirmative.

VI. - DE APPLICATIONE PRAESCRIPTORUM
CAN. 197, 199, 206-209, POTESTATI DOMINATIVAE

D. An praescripta canonum 197, 199, 206-209, de potestate iurisdictionis, applicanda sint, nisi natura rei aut textus centextusve legis obstet, potestati dominativae quam habent Superiores et Capitula in Religionibus et in Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis publicis.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 m. Martio a. 1952.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*

L. ✠ S.

A. Coussa, B. A., *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 1 aprile 1952, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso:

1) Sulla Introduzione di Causa del Servo di Dio Pio Brunone Lanteri, fondatore della Congregazione degli Oblati della Beata Vergine Maria.

2) Sugli scritti del Servo di Dio Tommaso Esteban, sacerdote professo della Compagnia di Gesù, ucciso, come si asserisce, in odio alla fede.

Martedì, 22 aprile 1952, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù della Serva di Dio Paolina Jaricot, fondatrice delle Opere della Propagazione della Fede e del Rosario vivente.

Martedì, 13 maggio 1952, nel Palazzo delle Congregazioni a San Callisto, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria*, nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù della Serva di Dio Clelia Barbieri, fondatrice delle Suore Minime dell'Addolorata.

Martedì, 27 maggio 1952, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla Introduzione della Causa di beatificazione dei Servi di Dio:

1) Matteo Rascher e Compagni, dei Missionari del Sacro Cuore, uccisi, come si asserisce, in odio alla fede, a Rabaul (Nuova Pomerania) nel 1904.

2) Luigi Versiglia, Vescovo di Caristo, Vicario Apostolico di Shiouchow e Callisto Caravario, ambedue della Pia Società Salesiana di San Giovanni Bosco, uccisi, come si asserisce, in odio alla fede, in Cina nel 1930.

Martedì, 10 giugno 1952, nel Palazzo delle Congregazioni a San Callisto, alla presenza dell'Emo Signor Cardinale Benedetto Aloisi Masella, Vescovo di Palestrina e Ponente della Causa del Servo di Dio Domenico Albini, Sacerdote Professo della Congregazione degli Oblati di Maria Immacolata, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria*, nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù del predetto Servo di Dio.

Martedì, 17 giugno 1952, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Car-

dinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla Introduzione di Causa dei Servi di Dio.

1) Lodovico Zeffirino Moreau, Vescovo di San Giacinto nel Canadà.

2) Teresa di Gesù Jornet Ibars, fondatrice della Congregazione delle Piccole Suore dei vecchi abbandonati.

3) Cecilia Eusepi, del III Ordine dei Servi di Maria.

4) Sugli scritti del Servo di Dio Salvio Huiz Milalpeix, Vescovo di Lerida.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

2 giugno 1952. Il Reverendissimo Padre Gut Benno, O. S. B., Abate dell'Abbazia *nullius* della Santissima Vergine Maria di Einsiedeln e il Reverendissimo Sacerdote Ziegler Giuseppe, *Consultori della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici.*

4 » » S. E. Revma Monsig. Principi Primo, *Consultore della Sacra Congregazione del Sant'Offizio.*

Parimenti con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium *di Sua Santità*:

2 gennaio 1951. Monsig. Mercier Luigi, della diocesi di Séez.
16 luglio » Monsig. Librea Domenico, della diocesi di Lipa.
11 marzo 1952. Monsig. Ponti Enrico (Roma).
17 aprile » Monsig. Carciotto Giuseppe, dell'arcidiocesi di Catania.
» » » Monsig. Di Dio Francesco, della mebesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Maugeri Giovanni, della medesima arcidiocesi.

Prelati Domestici di Sua Santità:

19 aprile 1951. Monsig. Cabezas Pozo Saverio, della diocesi di Huánuco.
7 maggio » Monsig. Davila Sisto, della medesima diocesi.
28 giugno » Monsig. Kaltnecker Maurizio, della diocesi di Nancy.
8 luglio » Monsig. Soubie Francesco, della diocesi di Martinica.
10 settembre » Monsig. Seguin Prospero, della diocesi di Mende.
» » » Monsig. Vidal Felice, della medesima diocesi.
21 » » Monsig. Maillet Fernando, dell'arcidiocesi di Parigi.
» » » Monsig. Eder Carlo, della diocesi di Secovia.
» » » Monsig. Fabian Francesco, della medesima diocesi.

26 ottobre 1951. Monsig. Raffit Giuseppe, della diocesi di Montpellier.
» » » Monsig. Rouquette Giovanni, della medesima diocesi.
2 novembre » Monsig. Lusseau Enrico, della diocesi di Luçon.
» » Monsig. Soubigou Luigi, della diocesi di Quimper.
13 dicembre » Monsig. Aughney Giuseppe A., dell'arcidiocesi di Omaha.
» » » Monsig. Barta Francesco, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Burns Roberto, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Falke Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Fischer Floyd, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Hallinan Giovanni, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Juricek Giovanni, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Osdick Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
2 gennaio 1952. Monsig. Brune Giovanni J., della diocesi di Springfield Ill.
» » » Monsig. Gatton Jesse L., della medesima diocesi.
» » » Monsig. Powell Giorgio H., della medesima diocesi.
25 » » Monsig. Burns Giuseppe Carlo, dell'arcidiocesi di Boston.
» » » Monsig. Lee Roberto Edoardo, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Mooney Giacomo J., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Murphy Francesco V., della medesima arcidiocesi.
7 febbraio » Monsig. Sajovitz Carlo, della diocesi di Trieste e Capodistria.
16 » » Monsig. English Francesco, della diocesi di Winona.
19 » » Monsig. Grigsby Enrico, della diocesi di Steubenville.
» » » Monsig. Callaghan Giacomo E., della diocesi di Syracuse.
» » » Monsig. Canfield Giuseppe, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Christian Guglielmo J., della medesima diocesi.
» » » Monsig. Davern Geremia, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Dwyer Michele, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Hopkins Alessio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Osip Giuseppe, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Phelan Giovanni, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Powers Giovanni, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Quaid Edoardo, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Shaughnessy Clemente, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Watley Martino, della medesima diocesi.
15 aprile » Monsig. Di Gaspero Camillo dell'arcidiocesi di Udine.

Camerieri segreti soprannumerari di Sua Santità:

10 gennaio 1949. Monsig. Haas Leopoldo, della diocesi di Secovia.
» » » Monsig. Marcher Alberto, della medesima diocesi.
29 giugno 1950. Monsig. Hofer Giuseppe, della diocesi di S. Ippolito.
8 luglio » Monsig. Colturato Agostino, della diocesi di Botucatú.
» » » Monsig. Melhado Campos Giuseppe, della medesima diocesi.
5 ottobre » Monsig. Cassese Pasquale, della diocesi di Santos.
» » » Monsig. dos Passos Francesco Lino, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Santos Benedetto Vincenzo, della medesima diocesi.

28 ottobre 1950. Monsig. Barbosa Magalhâes Giuseppe, della arcidiocesi di Fortaleza.
» » » Monsig. da Silva Giuseppe Augusto, della medesima arcidiocesi.
11 novembre » Monsig. Galvâo Abilio Americo, della diocesi di Garanhuns.
» » » Monsig. Aurisol Cavalheiro Freire Paolo, dell'arcidiocesi di S. Paolo del Brasile.
» » » Monsig. Cipullo Francesco, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. da Silveira Camargo Paolo Fiorenzo, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. de Carvalho Giov. Batt., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. de Castro Nery Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Franco Marcello, della medesima arcidiocesi.
18 gennaio 1951. Monsig. Rosenberger Roberto, della diocesi di Secovia.
» » » Monsig. Trummer Giuseppe, della medesima diocesi.
15 marzo » Monsig. Arnold Francesco, dell'arcidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Kosnetter Giovanni, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Pfliegler Michele, della medesima arcidiocesi.
11 aprile » Monsig. Calamoneri Antonio, della diocesi di Caltanissetta.
20 dicembre » Monsig. Fucci Vincenzo, della diocesi di Brooklyn.
23 gennaio 1952. Monsig. Lannen Patrizio, della diocesi di Middlesbrough.
19 febbraio » Monsig. O'Donnell Enrico B., della diocesi di Steubenville.
3 aprile » Monsig. Vincenti Federico, dell'arcidiocesi di Perugia.
» » » Monsig. Rotondano Innocenzo, della diocesi di Policastro.
» » » Monsig. Tancredi Luigi, della medesima diocesi.
6 » » Monsig. Caputo Giorgio, della diocesi di Patti.
» » » Monsig. La Rosa Francesco, dell'arcidiocesi di Siracusa.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di Sua Santità:

10 gennaio 1949. Monsig. Passath Francesco, della diocesi di Secovia.
11 novembre 1950. Monsig. Klement Giovanni, dell'arcidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Moser Carlo, della medesima arcidiocesi.
18 gennaio 1951. Monsig. Goger Teodoro, della diocesi di Secovia.
» » » Monsig. Hansemann Giorgio, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Lippe Antonio, della medesima diocesi.
27 febbraio 1952. Monsig. Koroschetz Giuseppe, dell'arcidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Kovar Luigi, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Schwacher Giacomo, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Troschky Teodoro, della medesima arcidiocesi.

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

19 maggio 1951. Al sig. Sueiras Arturo, della diocesi di Cienfuegos.
19 febbraio 1952. Al sig. Macedonia Domenico Antonio, della diocesi di Steubenville.
23 marzo 1952. Al sig. Notarianni Gregorio (Roma).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

16 aprile 1951. Al sig. Oliart Garmendia Carlo, dell'arcidiocesi di Cuzco.
19 maggio » Al sig. Bustamante de la Fuente Giovanni., dell'arcidiocesi di Arequipa.
» » » Al sig. de Pierola Emanuele, della medesima arcidiocesi.
23 dicembre » Al sig. Stahl Giovanni, dell'arcidiocesi di Panamá.
17 marzo 1952. Al sig. De Capua Filippo, della diocesi di Foggia.
26 » » Al sig. Parma Gian Franco, dell'arcidiocesi di Milano.
29 » » Al sig. Sertorio Filippo, dell'arcidiocesi di Torino.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

25 novembre 1951. Al sig. Connell Edoardo, dell'arcidiocesi di New York.
17 gennaio 1952. Al sig. Iribarren Andrea, della diocesi di Viedma.
» » » Al sig. ter Ellen Giovanni, della medesima diocesi.
14 febbraio » Al sig. Boone Guglielmo D., della diocesi di Corpus Christi.
» » » Al sig. Finnegan Giovanni, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Fitz Simmons Giacomo E., della medesima diocesi.
» » » Al sig. Heard Giuseppe C., della medesima diocesi.
» » » Al sig. McGuill Bernardo, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Oden Giacomo F., della medesima diocesi.
13 marzo » Al sig. Gardella Giuseppe, dell'arcidiocesi di Chicago.
» » » Al sig. Nora Ernesto, della medesima arcidiocesi.

La Gran Croce dell'Ordine di san Silvestro Papa:

9 febbraio 1952. Al sig. Giannelli Aristide (Roma).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

17 maggio 1945. Al sig. Gomez Cornejo Santos, della diocesi di Madrid.
31 marzo 1946. Al sig. Gea Sacasa Rufino, della medesima diocesi.
10 aprile 1951. Al sig. Campos Menéndez, della diocesi di Punta Arenas.
19 maggio » Al sig. Ballon Landa Alberto, dell'arcidiocesi di Arequipa.
» » » Al sig. Soto Giuseppe Augusto, della medesima arcidiocesi.

16 luglio 1951. Al sig. Théard Guglielmo, della diocesi di Les Cayes.
7 febbraio 1952. Al sig. Piccirillo Francesco, dell'arcidiocesi di Capua.
6 marzo » Al sig. Angela Plinio, della diocesi di Castellaneta.
15 » » Al sig. Corona Silla Antonio, della diocesi di Sora.
17 » » Al sig. Carissimo Antonio, della diocesi di Oria.
19 » » Al sig. Del Nero Pietro, dell'arcidiocesi di Genova.
21 » » Al sig. Eigemann Pietro, dell'arcidiocesi di Milano.
25 » » Al sig. Nova Pasquale, della medesima arcidiocesi.
26 » » Al sig. Tirinzoni Eugenio, della diocesi di Como.
29 » » Al sig. Colombo Giuseppe, dell'arcidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Aceto Giuseppe, dell'arcidiocesi di Torino.
6 aprile » Al sig. Papini Giovanni, della diocesi di Pescia.
» » » Al sig. Franceschini Nicola, del patriarcato di Venezia.
15 » » Al sig. Marulli Ugo (Roma).
19 » » Al sig. Fiorino Carlo Ugo, della diocesi di Alba.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

19 ottobre 1950. Al sig. Fois Filippo, della diocesi di Ampurias e Tempio.
16 giugno 1951. Al sig. Schneider Federico, dell'arcidiocesi di Salisburgo.
14 febbraio 1952. Al sig. Pignatelli Luigi, della diocesi di Valva e Sulmona.
6 marzo » Al sig. Biondi Beniamino, della diocesi di Agrigento.
15 » » Al sig. Aiello Giovanni, dell'arcidiocesi di Torino.
25 » » Al sig. Travaglini Adolfo (Roma).
29 » » Al sig. Giuliano Teresio, dell'arcidiocesi di Torino.

NECROLOGIO

8 marzo 1952. Monsig. Jarre Cirillo Rodolfo, Arcivescovo di Tsinan.
13 » » Emo Sig. Card. Nasalli Rocca di Corneliano Giovanni Battista del tit. di S. Maria in Traspontina, Arcivescovo di Bologna.
» » » Monsig. Méndez del Rio Gennaro, Vescovo di Huajuápam de León.
16 » » Monsig. Burger Guglielmo, Vescovo tit. di Tebe di Tebaide.
19 » » Monsig. Bieler Vittorio, Vescovo di Sion.
20 » » Monsig. Morera Albino, Vescovo tit. di Gurza.
29 » » Monsig. Steinmetz Francesco, Vescovo tit. di Adriani.
3 aprile » Monsig. Patanè Carmelo, Arcivescovo di Catania.
6 » » Monsig. Morin Oscar, Vescovo tit. di Utina.
8 » » Monsig. Kamprath Francesco, Arcivescovo tit. di Carpato.
12 » » Monsig. Cogneau Augusto, Vescovo tit. di Tabraca.
» » » Monsig. Le Pailleur Alfredo, Vescovo tit. di Ciparissia.
14 » » Monsig. Cheng Giacomo Luigi, Vescovo tit. di Barcuso, Vicario Apostolico di Chantaburi.

21	aprile	1952.	Monsig. Picconi Antonio, Vescovo di Vigevano.
8	maggio	»	Monsig. Verhoeks Tommaso Giuseppe, Vescovo tit. di Eleuteropoli di Palestina, Vicario Apostolico di Soerabaia.
10	»	»	Monsig. Lamiroy Enrico, Vescovo di Bruges.
11	»	»	Emo Signor Card. Ascalesi Alessio del tit. di San Callisto, Arcivescovo di Napoli.
»	»	»	Monsig. Cattan Basilio, Arcivescovo tit. di Proconneso.
22	»	»	Monsig. Kinold Venceslao, Vescovo di Panemotico.
»	»	»	Monsig. Roland-Gosselin Beniamino, Arcivescovo tit. di Laodicea di Siria.
28	»	»	Monsig. Desranleau Filippo Servulo, Arcivescovo di Sherbrooke.
3	giugno	»	Monsig. Jurgens Costanzo, Vescovo tit. di Acarasso.
6	«	»	Monsig. Walsh Tommaso Giuseppe, Arcivescovo di Newark.
7	»	»	Monsig. Streicher Enrico, Arcivescovo tit. di Brisi.
8	»	»	Monsig. Sanabria Vittorio, Arcivescovo di San Giuseppe di Costarica.
11	»	»	Monsig. Calchi Novati Pietro, Vescovo di Lodi.
12	»	»	Emo Signor Card. de Faulhaber Michele del tit. di Sant'Anastasia, Arcivescovo di Monaco e Frisinga.
23	»	»	Monsig. Panis Giovanni Gualtiero, Vescovo tit. di Trisipa.
25	»	»	Monsig. Guidati Alessandro, Arcivescovo tit. di Nicopoli di Epiro.

PAG.

tiae M. Lopez Vicuña, Virginis, fundatricis Instituti Filiarum Mariae Immaculatae pro Puellis Famulatui addictis. - 14 Martii 1952 482

II. *Vicen. seu Barcinonen.* - Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Ioachimae de Vedruna vid. de Mas, fundatricis Instituti Sororum Carmelitarum a Caritate. - 14 Martii 1952 483

III. *Neapolitana.* - Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Aegidii Mariae a Sancto Ioseph, laici professi Ordinis Fratrum Minorum. - 14 Martii 1952 485

IV. *Asten., seu Taurinen.* - Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Dominici Savio, adolescentis laici, alumni Oratorii Salesiani. - 14 Martii 1952 486

V. *Lucen.* - Decretum de « Tuto » pro beatificatione Ven. Antonii Mariae Pucci, Sacerdotis professi Ordinis Servorum Mariae, parochi S. Andreae in civitate « Viareggio ». - 6 Aprilis 1952 488

VI. *Urbis et Orbis.* - Decretum de novis ellogiis in Martyrologio Romano inserendis. - 9 Maii 1952 489

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales: PAG.

I. *Urbinaten. seu Firmana* - Nullitatis matrimonii (Basili-Burzinskj). - 28 Maii 1952 494

II. *Aquen. seu Taurinen.* - Nullitatis matrimonii (Perdomo-La Perma). - 25 Iunii 1952 495

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia. - 26 Martii 1952 496

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. S. Congregazione dei Riti: *Varie* . . 498

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 499

III. Necrologio 503

MISSA B. PII X PAPAE ET CONF.

Lit. 20 ($ 0,10)

OFFICIUM IN FESTO
B. PII X PAPAE ET CONF.

Lit. 15 ($ 0,05)

OFFICIUM IN FESTO
ASSUMPTIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

Cum cantu, in-16° pp. 32, Lit. 200 ($ 0,40)
Officium sine cantu, Lit. 50 ($ 0,15) - Missa sine cantu, Lit. 15 ($ 0,05) - Missa cum cantu, Lit. 70 ($ 0,70)

PONTIFICIA ACADEMIA SCIENTIARUM

PIO XII

LE PROVE DELL'ESISTENZA DI DIO
ALLA LUCE
DELLA SCIENZA NATURALE MODERNA

In italiano, francese, inglese, tedesco, spagnolo — Un vol. in-8° pp. 82, L. 500 ($ 1)

Veneunt apud: LIBRERIA EDITRICE VATICANA — CITTÀ DEL VATICANO

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

Editio nova typica

BREVIARIUM ROMANUM

Ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum, Summorum Pontificum cura recognitum cum nova versione Psalterii Pii Papae XII auctoritate edita

In 4 partes divisum, in 18° (cm. 10,5×16,5) cum nova Psalmorum versione Pii Pp. XII auctoritate edita — In charta indica avoriata — Typis clarissimis, rubris et nigris — In praecipuis partibus et festis principalioribus imaginibus decoratum; spissum: cm. 2,5; pondus: 1 vol. relig.: gr. 420.

Psalmi Horarum pro Festis, Absolutiones, Benedictiones, Suffragia, Antiphonae finales B. M. V. Orationes Dominicarum. Verumtamen Preces ante et post divinum Officium, Ps. 44, Hymnus ambrosianus, cantica Benedictus, Magnificat ad uniuscuiusque voluminis initium inserta sunt.

In hac editione insertum est novum Officium in festo Assumptionis B.M.V.

Quodlibet Breviarium continetur in custodia ex charta spissa confecta.

Sine religationis pretii augmento, addi poterunt Propria Officia Dioeceseos vel Ordinis seu Congregationis; quae tamen ab tempore mittenda erunt.

Solutum Lit. 11.000 ($ 20) — A) Corio contectum cum sectione foliorum rubra Lit. 14.000 ($ 25.50) — B) Corio contectum cum sectione foliorum aurea Lit. 15.500 ($ 28) — C) Corio caprino contectum cum sectione foliorum aurea Lit. 16.500 ($ 30) — D) Corio caprino contectum cum sectione foliorum rubra-aurata Lit. 17.000 ($ 31) — E) Corio caprino optimo cum sectione foliorum rubra-aurata et ornamentis aureis decorato, Lit. 20.000 ($ 36.50). Tegumentum e corio factum ad unum volumen accomodatum. Lit. 1500 ($ 2.75).

RITUALE ROMANUM

PAULI V PONTIFICIS MAXIMI IUSSU EDITUM ALIORUMQUE PONTIFICUM CURA RECOGNITUM ATQUE AD NORMAM CODICIS IURIS CANONICI ACCOMMODATUM SS.MI D. N. PII PAPAE XII AUCTORITATE ORDINATUM ET AUCTUM

EDITIO TYPICA

Vol. in-18° (cm. 9 × 15), pp. VIII-878-82°, in charta indica avoriata typis clarissimis rubris et nigris. Solutum Lit. 1500 ($ 2,40); N. 1, linteo contectum cum sectione foliorum rubra, Lit. 1800 ($ 2,90); N. 2, linteo contectum cum sectione foliorum aurata, Lit. 2000 ($ 3,10); N. 3, corio contectum cum sectione foliorum aurata, Lit. 2400 ($ 3,80); N. 4, contectum corio caprino optimo cum sectione foliorum rubra aurata et ornamentis aureis decorato. Lit. 3000 ($ 4,80).

PONTIFICALE ROMANUM

Quatuor volumina in folio (cm. 30½ × 44½ — 22 × 33), charta optima, typis rubris ac nigris, cum pulcherrimis incisionibus aeneis.

Perfecte referunt editionem illam accuratissimam, quam Revma Camera Apostolica in lucem prodidit; cui tamen ea omnia opportune adiecta sunt, quae eam utiliter complent.

Quatuor volumina (I, II, III, IV et Appendix) soluta: Lit. 18.000 ($ 30).

Cum dorso corio contecto, planis autem operimentis linteo protectis, sectione foliorum aurea, cruce aurea in anteriore ac posteriore parte impressa; ac praeterea cum titulis in dorso, cum signaculis et cum apto pro unoquoque volumine tegumento: Lit. 35.000 ($ 60).

Corio caprino contecta per totum, cum aureis ornamentis atque aurea cruce in anteriore ac posteriore parte impressa, cum sectione foliorum aurea cum dorso titulis ornato, cum signaculis opportunisque pro unoquoque volumine tegumentis: Lit. 50.000 ($ 90).

Ut supra; ac praeterea interna operimenti parte aureis ornamentis in marginibus decorata ac serico linteo protecta: Lit. 60.000 ($ 110).